



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

6 Vtrum necesse sit semper eligere meliorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

secundum speciem & secundum materiam, sicut vnum quodque habentium speciem in materia; In alijs autem habentibus speciem in materia, sicut est lapis, & ferrum, & huiusmodi, non habet locum prima distinctio, sed secunda, ut per se patet. Et id dicendum est quod alimentum conuertitur in carnem que est secundum speciem, i. qua habet speciem, non tamen ita quod alimentum fiat species carnis, sed sit carnis materia, ratione cuius potest dici quod conuertitur in carnem quantum ad materiam, & non quantum ad speciem.

AD SECVNDVM dicendum, quod veritas humana nature, & cuiuslibet alterius rei est a specie, & ideo cum id quod est in homine, maneat secundum speciem, quamuis non maneat secundum materiam, nihilominus veritas humana nature manere dicitur; nec desinit esse idem homo numero, propter mutationem que est secundum materiam, quia non tota materia similiter a forma abstrahitur, ut alia tota simul formam accipiat. Hec enim generatio esset, & corruptio, sicut si totus ignis unus extingueretur, & alius totus accenderetur, sed aliqua pars materiae consumitur, & alia in locum eius substituitur, que efficitur una materia preexistens, per hoc quod ei adiungitur ad sustinendam eandem formam humani corporis, sicut si unum lignum ignis consumat, & aliud loco eius apponatur, erit eadem ignis numero.

AD TERTIVM dicendum, quod ad conceptionem humani corporis duo concurrunt, scilicet materia ex qua formatur conceptus, & iterum vis formativa que conceptum format, quorum primam Aug. vocat corpulentam substantiam, secundum vero seminalem rationem. Dicitur ergo secundum utrumque istorum fuisse in Adam originaliter, in quantum scilicet materia concepti preparata est per virtutem generativam matris, vis autem formativa est in semine patris. Et utrumque istorum reducit in Adam sicut in primam originem, a qua humanam naturam traxerunt virtutes consequentes. Corpus autem Christi formatum fuit per virtutem spiritus sancti actiuam: sed materiam ministravit mater, quia ex purissimis sanguinibus Virginis conceptus est, ut Dam. dicit. Et ideo non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed secundum corpulentam substantiam, non tamen ita quod eadem numero que est in nobis, & fuit in Christo, fuerit in Adam.

Et ex hoc patet responsio ad sequens.

QVÆSTIO IIII.

DEINDE quærebatur de his que pertinent ad culpam, vel gratiam.

¶ Et Primo. Quærebatur de his que pertinent ad gratiam.

¶ Secundo, De his que pertinent ad culpam. Quantum ad pertinentia ad gratiam quærebatur.

¶ Primo, De his que pertinent ad prælatos tantum.

¶ Secundo, De his que pertinent ad omnes communiter. Quantum autem ad prælatos quærebatur duo.

¶ Primo, De electione prælatorum, utrum scilicet sit necesse semper eligere meliorem, vel sufficiat eligere bonum.

¶ Secundo, De honore exhibendo prælatis, utrum scilicet mali prælati sint honorandi.

ARTICVLVS VI QVÆSTIA VI

Vnum necesse sit semper eligere meliorem.

AD PRIMVM sic proceditur. Videtur quod necesse sit semper eligere meliorem. Dicitur. n. 4. Regum. Eligite meliorem, & cum ponite super solium patris sui, ergo multo fortius in spiritualibus officiis meliores prælegendi sunt.

¶ 2. Prælat. ad Thim. 3. super illud. Oportet episcopum irreprehensibilem esse, dicit gl. Talis eligatur pontifex, cuius comparatione ceteri grex dicantur, ergo oportet in episcopatu semper eligere meliorem.

¶ 3. Prælat. Leo Papa dicit. Ille qui melior est in presbyteris & diaconibus in episcopum eligatur.

¶ 4. Prælat. Ille qui est propinquior, ad hereditatem possidendam debet preferri: sed Christo cuius patrimonium possident clerici & prælati, est propinquior qui est melior, ergo ad prælationes & officia ecclesiastica semper sunt meliores eligendi.

¶ 5. Prælat. Si aliquid commissum esset a Domino suo ut ei fidelem, & idoneum ministrum quaereret, non ageret fideliter erga Dominum suum, si prætermisso magis idoneo minus idoneum acciperet, ergo multo magis peccat ille cui commissum est eligere aliquem in ministerium Dei, si non eligat meliorem.

SED CONTRA est, quod decretalis dicit, quod sufficit eligere bonum, nec requiritur quod melior eligatur.

RESPON. Dicendum, quod aliquis homo potest dici bonus, vel melior altero dupliciter. Vno modo simpliciter, & sic melior est qui in charitate est perfectior. Alio modo secundum quid, & sic dicitur aliquis melior altero, vel ad malitiam, vel ad magisterium, vel ad prælationem, vel ad aliquid huiusmodi, qui non est melior simpliciter, eo quod in singulis officijs tam spiritualibus quam corporalibus, requiruntur aliqua præter moralem bonitatem ad hoc, quod aliquis sit idoneus ad illud officium exequendum. Dicendum est ergo, quod oportet eligere ad prælationem, vel ecclesiasticum officium aliquem qui sit bonus simpliciter, quia per quodlibet peccatum mortale aliquis redditur indignus ad quilibet spirituale exequendum. Vnde dicit Dio. in epistola ad Demophilum monachum, loquens de sacerdote qui non est gratia illuminatus. Non est ille sacerdos, sed inimicus dolosus, delusor superstitiosus, & lupus supra dominicum populum, pelle armatus ovina: non tamen oportet quod semper eligatur ille qui est melior simpliciter. Possibile est enim quod illi qui est in charitate perfectior, deficiant multa que requiruntur ad hoc quod aliquis sit prælatus idoneus, que in alio qui est minoris charitatis inueniuntur, ut sunt scientia, industria, potentia, & alia huiusmodi. Vnde non oportet semper eligere meliorem simpliciter, sed eum qui sit melior ad hoc officium.

Si autem eligat quis eum quem reputat minus idoneum ad tale officium, peccat. Non enim potest esse quod de duobus vnus alteri præligatur, nisi propter aliquod in ipso consideratum. Illud autem quod consideratur in eo qui est minus idoneus ad hoc, quod magis idoneo preferatur, est aliqua conditio indebite mouens, vel familiaritas, vel consanguinitas, vel aliquid huiusmodi. Non enim potest esse aliqua conditio pertinens ad prælati idoneitatem, ex quo alter simpliciter magis idoneus reputatur, & sic indebite mouet, & sic in tali electione erit ibi acceptio personarum, que sine peccato non fit.

AD

ar. 91. ad 11. & 130. 0. & ar. 84.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod cum dicitur. Eligite meliorem, intelligitur de meliori ad talem dignitatem.

**AD SECUNDUM** dicendum, quod in comparatione prelati debent esse ceteri quasi grex, non considerata sola sanctitate moru, sed discretionem & strenuitate, & aliis huiusmodi quae in pastore exiguntur ad regendum.

**AD TERTIUM** dicendum, sicut ad primum.

**AD IIII.** dicendum, quod ille qui eligitur in prelatum, non eligitur quasi ad hereditatem possidendam, quia hereditas Christianorum non est in terra, sed est in caelo, ipse Deus, sicut in illud Psal. 15. Dominus pars hereditatis meae. Eligitur autem velut dispensator in familia Domini alicuius, secundum illud 1. Corint. 4. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores &c. Dispensator autem non semper eligitur qui est propinquior, sed est magis idoneus.

**AD V.** dicendum, quod similiter etiam contingeret in procuratore serui alicuius Domini temporalis quod non oportet querere hominem meliorem simpliciter, sed meliorem ad seruiendum.

**AD** illud vero quod in contrarium obiicitur, dicendum quod decretalis intelligenda est quantum ad hoc quod non semper oportet eligere meliorem simpliciter, sed sufficit eligere bonum. Vel dicendum, quod non loquitur quantum ad forum conscientiae, sed quantum ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ex hoc, quod potest aliquis alius magis idoneus inueniri, dummodo ille qui eligitur idoneus sit, alias omnis electio calumniam pateretur.

ARTICVLVS VII.

*Vtrum malis prelati sit exhibendus honor.*

**AD SECUNDUM** sic proceditur. Videtur quod malis prelati non sit exhibendus honor. Sicut enim dicit Boetius in libro de consolatione. Non possumus ob honores reuerendos iudicare, quos ipsis honoribus reputamus indignos: sed mali prelati non sunt honoribus digni. ergo non possunt iudicari esse reuerendi a suis subditis.

**¶ 2 Præ.** Honor non debetur prelati malis nisi ratione prelationis. Cum ergo sunt prelatione indigni, sunt etiam per consequens indigni ad honores, & ad alia omnia quae sunt prelationi propria.

**SED CONTRA** est, quod dicitur Exod. iij. c. Honora patrem tuum. gloss. id est, prelatos. Cum ergo indefinite loquatur, videtur quod omnes prelati tam boni quam mali sunt honorandi.

**RESPON.** Dicendum, quod in plato duo possumus considerare, personam propriam, & dignitatem, sicut in quam est quaedam persona publica. Si ergo prelati sit malus ratione personae suae, non est honorandus, quia cum honor sit reuerentia alicui exhibita in testimonium virtutis, falsum testimonium de eo proferret si quis eum obtentu propriae personae honoraret, contra illud quod dicitur Exod. 20. Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium: sed in quantum est persona publica, sic gerit typum & locum non sui ipsius, sed alterius, scilicet Christi in Ecclesia, vel reipublica, ut Dominus in secularibus dignitatibus, & sic valor eius non computatur secundum personam, sed secundum eum cuius loco praesidet: sicut est de lapillo qui in computationibus ponitur loco centum marcarum, cum in se nihil valeat, ut dicitur Proverb. 26. Sicut qui mittit lapidem in acerrum

Mercurij, ita qui tribuit insipienti honorem. Mercurius enim dicebatur Deus rationis & meritationis, & ita est ei honor exhibendus non propter se, sed propter eum cuius loci obtinet, sicut adoratio imaginis refertur ad prototypum, ut dicitur Damascenus. Unde, & malus prelati idolo comparatur, Zach. 11. O pastor & idolum derelinquens gregem.

**AD PRIMUM** ergo dicendum, quod intentio Boetii est dicere, quod mali homines non iudicantur reuerendi in propriis personis, quamuis eis exhibentur honores propter officia, in quibus sunt constituti.

**AD SECUNDUM** dicendum, quod malus prelati & indignus est prelatione, & honoribus qui prelati debentur: sed ille cuius vicem gerit dignus est ut eius vicario talis honor exhibeatur, sicut beata Virgo digna est ut eius imaginem de pida in pariete reuerentur, quamuis tali reuerentia ipsa imago digna non sit.

QVÆSTIO V.

**DE**inde queritur de pertinentibus ad gratiam quantum ad oēs, & quae continentur in statu.

Et circa hoc quaeruntur tria.

**¶ Primo,** De orationibus, utrum oratio tantum valeat facta pro alio sicut facta pro se.

**¶ Secundo,** De suffragiis, utrum magis proficiat pro peri magis digno, quam diuiti, pro quo specialiter fiunt.

**¶ Tertio,** De votis, utrum votum simplex dicatur matrimonium contractum.

ARTICVLVS VIII.

*Vtrum oratio plus valeat pro se facta, quam pro alio.*

**AD PRIMUM** sic proceditur. Videtur quod oratio plus valeat pro se facta, quam pro alio. Ita enim dicitur in quadam glossa, quod speciales orationes plus valent: sed illa est maxime specialis, quae quis pro se orat, ergo plus valet oratio pro se facta, quam pro alio.

**¶ 2 Præ.** Ut dicitur in li. de spiritu & anima Oratio nihil aliud est quam deuotio mentis in Deum: sed magis deuote aliquis orat pro se, quam pro alio. ergo plus valet oratio pro se facta, quam pro alio.

**SED CONTRA.** Oratio tanto amplius valet, quanto magis est deuota: sed quando quis deuotus orat pro alio quam pro seipso, ergo plus valet oratio pro alio, quam pro seipso.

**RESPON.** Dicendum, quod duplex est valor orationis. Vnus qui est orationis proprius, sicut in quem dicitur valere oratio ad impetrandum illud quod petitur, sicut oratio Petri valuit ad suscitationem Thebitae. Alius valor est communis orationi, & aliis operibus uirtutum, sicut in quod oratio valere dicitur ad meritum aliquid ipsi oranti prout charitate informatur, sicut oratio Petri qua suscitationem Thebitae impetrauit, fuit meritoria Petro vite eterne, in qua tunc erat actus charitatis informatus. Loquendo ergo de primo valore ceteris paribus plus valet oratio facta pro se quam pro alio, quia efficacia orationis in impetrando potest amittere suum effectum, quando pro alio fit ex aliquo impedimento, quod inuenitur in eo pro quo oratur. Vnde una de conditionibus orationis quae faciunt eam efficacem ad impetrandum, est vult aliquis pro se orat. Quantum autem ad secundum valorem oratio magis valet quae ex maiori charitate procedit siue pro se, siue pro alio fiat. Si autem de intentione.

22. q. 63. a. 1.  
o. & q. 104.  
a. 1. ad 2. & 3.  
di. 9. 2. a. 3. o.